Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De Vulpibus Simsonaeis Ex Jud. XV.4

Gebhardi, Brandanus Heinrich
Taege, Gottfried

Gryphiswaldiae, 1718

VD18 11425202

Thes. III.

urn:nbn:de:bsz:31-130372

Visual Library

sime אלם *mutus*, אלמנה *vidua*, אלם *porticus*, אילם *vestibulum* אלמוני *qvivis* אולם *profecto*. *Finge* שעל notare idem qvod אלם *manipulavit*. An inde inferri potest שועל notare *manipulum*? Imo exemplo derivati אולם *profecto* manifestum est, שועל suo sensu qvam longissime a radicis dato significatu discedere posse.

8. Res omnis erit expedita, si concesseris puncta consonis non esse σύγχρονα. Ita enim antiqvitus scriptum שועלים *æqve facile per* schoalim *ac* schualim *legi potuit. Vel primo* שעלים *scriptum fuit simpliciter, deinceps* ו *eo tempore qvo* אמות הקריאת *a Judæis repertæ sunt, insertum.* §. 9.

Resp. His & sexcentis ejusmodi argumentis nihil qvidqvam effecerit Autor Cl. qvamdiu non probaverit vocem שועל vel שעל notare *manipulum straminis*. Sunt meræ petitiones principii. Ut clarius pateat qvam stramineum hoc sit argumentum, colligemus terminos Cl. Antoris: Qvæ vox schoalim legi potuit, aut cui cum legeretur schualim inseri ו potuit, ea notat hic *manipulos straminis*. Atqvi vox *schualim* legi potuit *schoalim*. Ergo denotat manipulos. Major primo supponit punctorum novitatem, qvæ nondum probata est. Deinde posita vocalium novitate infert, legi potuisse *schoalim* pro *schualim*. Tertio supponit שעלים notare *manipulos*, in qvod nulla hactenus verisimilitudine probatum dedit. 4. Infert: Si potuit legi *schoalim*. Ergo etiam lectum fuit, ac proinde sensus *vulpis* hinc excludendus. Æqve male cohæret argumentum ab הקריאה אמות sumtum. Potuit inseri ו Ergo insertum fuit. Qvis non videt imbecillitatem collectionis? Sed ut evidentius adhuc constet, qvod vocis שועלים verus & genuinus sensus sit *vulpes*, circumstantiæ textus porro expendendæ sunt.

THES. III.

Schualim dicuntur captæ a Simsone arte venatoria. Hoc prædicatum non cadit in manipulos

pulos straminis. Ergo VULPES non MANIPULI inuuentur.

ANTITH.

Verbum לכר non semper in Scripturis notat *illaqueare* & *capere*, sed & *occupare, assumere, arripere.* Ergo commode de manipulis straminis dicitur.

Prob. I.

Ex fontibus de voce לכר *iudicandum, non ex versionibus. Juxta Lexicorum & Concordantiarum effatum notat &* assumere, arripere. *Graci transtulerunt* συνίλαβε. *Rabbi quidam Anonymus in versione Germanico-Hebræa* nehmen / benehmen. *§. 9.*

Resp. 1. Recte ad fontium judicium provocat Cl. Autor. Vellem autem ipsum etiam fontes de sensu vocis שועלים consuluisse. Ita nunqvam sibi sumsisset receptam vulpis significationem h. l. convellere. Cæterum, qvod hoc verbum לכר attinet, si fontes consulimus, nullo negotio everti potest data ipsi *assumendi* & *arripiendi* notio. Utinam Cl. Autor adduxisset aliqvod ex fontibus exemplum hujus significatus! Ad Lexica Lectores ablegat; at illa minime agnoscunt sensum *assumendi* aut *arripiendi*; sed *capiendi, illaqueandi, occupandi, ex improviso deprehendendi.* Nec concordantiæ alium admittunt sensum מה שפרושו האחז כל לכר לוהתפש בזולת *Lachad ubivis in sacris notat occupationem & deprehensionem.* Exempla probant, usurpari vocem de captura seu occupatione urbium, terrarumqve, qvo sensu freqventissime occurrit in Josuæ libro: de captura, illaqueatione & deprehensione hominum Es. XXIV. 18. Joh. XI. 12 Jer. V. 26. Prov. V. 22. Ps. IX. 16 Prov. VI. 2. Es. VIII. 15. de occupatione regni. I. Sam. XIV. 47. de captura ferarum Amos III. 4. Qvid ergo hic fontes nobis objicit Cl. Autor, qvos sibi videt qvam infestissi-

 mos?